



IVDICIVM VNIVERSALE

DE PORTENTIS,  
PRAESAGIIS, ET O-  
STENTIS RERVM ADMIRABILIVM,  
AC SOLIS ET LVNAE DEFECTI-  
BVS, ATQVE COMETIS.

Autore GASPARETORELLA Valentino.  
Episcopo Sanctæ Iustæ.

Promulgante ANSELMO STOECKELIO Equi-  
te aurato Ordinis Constantiniani, Consiliario  
Ducali Bauarico.

*Ne mirere graues rerumq; hominumq; ruinas,  
Sæpe domi culpa est, nescimus credere celo.  
Nunquam futilibus excanduit ignibus ær.*



Cum Priuilegio Cæsareæ Maiestatis  
in Typographia Tegernseensi.

clō. Id. LXXVIII.

# ILLVSTRIET MAGNIFICO VIRO D.

IOHANNI FVGGERO, BARONI

IN KIRCHBERG ET VVEYSSENHORN, &c.

literarum & literatorum Mece-  
nati S.



ETERNVM OMNIPOTENS  
& numen, VIR ILLVSTRIS,  
multas Germaniæ, nunquam fa-  
tis laudatæ, communisq; nostræ  
patriæ, præstantes familias ijs mu-  
neribus liberalissimè honestavit,  
yt bonis literis flagranter studerēt,  
eas cupidè discerent, & cognoscerent. Hinc illis opti-  
marum rerum voluntas excitata, & verarum intelli-  
gentia enata est. Solo hoc illæ mores suos erudierunt,  
& ad summum honorem sibi viam munierunt. Omnis  
autem excellens virtus semper memorabilis in humano  
genere extitit, apud quod ingenio, doctrinæ & sapi-  
entiæ magnificæ commendatis celebratisq; sui nunq;  
defuerunt honores. Sic hodie etiam in plarisq; fami-  
lijs vera fama & commēdatio exprimitur, ac ne quaquā  
adumbratur, quoniam ipsarū ingenia literise xculata &

## EPISTOLA

animi doctrinis informati mirifice enitescant. Quod  
 ut adipiscerentur, nihil ad hoc pertinens prætermise-  
 runt. Regiones enim lustrarunt, in quibus ingenue  
 disciplinæ alebatur, quæ doctissimis hominibus & li-  
 beralibus studiis affluebant. Hi rectè suam vitam insti-  
 tuerunt, sapientiæ, morumque laudem sibi compararunt,  
 patriæ suæ vberes fructus pepererunt, lætos conciliaue-  
 runtque successus, quos postea prudentia, consilijs, &  
 rerum administrandarum dexteritate confirmarunt. &  
 auxerunt. Nihil enim aliud à talium virorum elegan-  
 tissimis artibus institutorum, scientia & iudicio com-  
 mendarum, animi magnitudine ac munificentia il-  
 lustratorumque virtute expectandum fuit. Quod igitur  
 illorum patria speravit, & eorumque sapientia, fortuna,  
 & amplitudine consecuta est. Vt autem ab istis subinde  
 plura commoda in humanam societatem redundaret,  
 & suam ipsam animi celsitudinem declararent, ac alijs ad  
 rectioris vitæ instituta progredientibus aditus ape-  
 rireretur, plurimis fruerenturque commodis, suas impen-  
 derunt opes, eiusmodi componari, exquirari, construi, &  
 omnibus modis exornari curarunt, ut nihil istis perit-  
 dè ad doctrinam, sapientiam, & dignitatem exco-  
 lendis deficeret. Postquam hæc contulerunt beneficia,  
 haud acquiescentes ampliora bonorum commoda &

orna-

## DEDICATORIA.

ornamenta moliti sunt, ut benignitate & liberalitate  
 sibi mortales deuincirent. Nullum non munus è Reip.  
 salute & emolumento obierunt, quod nominis sui com-  
 mendationem omni posteritati coequaret. Sed istis testi-  
 monijs & monumentis ad omnem memoriam com-  
 mendari celebrarique fategerunt, quæ virtus parit, vnica  
 veræ laudis, perennisque gloriæ procreatrix. Cum au-  
 tem tua domus ab his ornamentis insignem admodum  
 commendationem ducat, ac tuum, fratris etiam tui Marci,  
 viri inclyti, ingenium, vitæ institutum, & studium ad  
 illarum familiarum, quas tantis donis à Deo immortalis  
 decoratas ostendi, & sapientiæ stirpes, virtutum semi-  
 naria, literarum, omnisque elegantiae vindices cenfeo  
 comparatum, nec non generosus animus atque præcla-  
 rata voluntas plurimorum sermone ad me perlata  
 sit, huius libelli tenuis quidem, sed cometarum natu-  
 ram, causas ac portenta breuiter & perspicue philoso-  
 phicè, atque astronomicè, nec minus theologicè expe-  
 dientis, varijs præteritorum seculorum obseruationibus,  
 gentium ac regionum historijs demonstrantis & con-  
 firmantis, atque à me è tenebris in lucem promulgati de-  
 dicatione meam erga te obseruantiam probare volui.  
 Accipe igitur hoc saturnalitium apophoretum & stre-  
 nam ea benignitate & humanitate, qua omnes bonos

A 3 virtute

## EPISTOLA DEDICATORIA.

virtute & doctrina ornatosq; complecteris. Data M.  
naci Calendis Ianuarijs, anno virginiei partus **CL.**  
**IO. LXXVIII.**

T, illustris Mag,  
tiae

obseruantissimus

Anselmus Stœckelius,  
Eques & consiliarius  
Ducalis Bauaricus.

## AD INGENVVM LECTOREM.



Mpertimur tibi, Lector ingēue, Gasparis Torellæ (cuius de peste ouina lucubrationes Bononiensibus Typis anno salutis instauratæ M. CCCC. LXXXIX impressas, & de morbo Gallico à Veneto chalcographo, anno M. D. LXVI excusatas antea procul dubio legisti, cuius tñ dialogus de dolore, cū tractatu de viceribus in pudēdagra euenire solitis manuscriptus in serenissimi Boiorum Ducis ter inclyti, Principis Alberti Catholici, sapientis, magnanimi, heri mei clemētissimi per ampla bibliotheca exhiberi potest) paruum de meteororum prodigijs & significationibus disputationem, quam non fastidies, aut lectu indignam censebis quōd Torella non ijs pedibus & numeris, quibus Cicero omnes orationis partes, commata, cola, & periodos, hanc inchoauerit, protulerit, finierit, continuerit, aut media temperauerit, & sentētijs modulationem accommodarit. Non quæras in hoc authore Ciceronianā dignitatem, non Pontani vrbانيتatem, aut Mizaldi elegantiam, sed doctrinam grauē, & quantū ad dicendū genus attinet, istius sæculi, quo ille hoc opusculū conscripserit, incompti scilicet simplicitatem. Quamuis in hoc libello Tulliani characteris notam non offendas, ne tamē reprobes, sed eum vti ad docendum comparatū legas, inuenturus quod obserues, & equo voluptatem capias. È maculandorum autē nauorum operam alijs districti negocijs non desumpsimus, tibi eam relinquentes, vt suppeteret, in quo ingenium exerceres, & studium poneres. Vale, & Torellam, licet verbis politis, sententiolis bellis, & schematibus venustis nō conuestitum, grauiā tamē & rara docentem lectione tua dignare,

AD REVEREN-  
DVM IN CHRISTO PA-  
TREM ET DOMINVM IOANNEM  
GOZADINVM, SANCTISSIMO NOSTRI  
Papæ, IVLII secundi Datarium dignissimum,

ANTHONII FIRMANI de Discretis,  
EPISTOLA.



VM superioribus diebus, Reuerende  
in Christo pater, & mi Domine pluri-  
mū honorande, perquisiueris ex postu-  
lauerisq; ab Episcopo S. IVSTAE,  
Domino meo Reuerendo, vt tibi de  
Cometa aliquid exprimeret, qui Mense Augusti, M.  
D.VI, per plures dies apparuerit, præ te fers beneuolen-  
tiam, quā erga ipsum habes, ingentissimam. Qui pro-  
fecto petitioni tuæ vt satisfaceret, vel saltem morem ge-  
reret, peruigili industria, ac diligenti studio, curauit.  
Sed cum aduersa valetudine aliquantulū grauaretur,  
mihi clientulo suo iussit imperauitq; vt inter libros su-  
os suasq; vigilias perquirerem, & si quid huic rei, quam  
poscis, conueniens reperirem, festinanter ad te mitterem.  
Quod equidem cum iussui Domini, tū optatis tuis vt  
citius responderetur, libenti animo feci. Itaq; perqui-  
rens attentiori cura, magnam, instar libelli incompoliti,  
Epistolam

EPIST. ANTHONII FIRMANI.

Epistolam, de portētis, prodigijs, præfagijs, de Solis &  
Lunę defectibus, deq; Cometis, Cæsari Borgię Roman-  
diolæ Duci olim destinata, sed nō missam, inueni. In  
quam multa cognitione, admirationeq; digna describun-  
tur, tractanturq; non ea, quæ in promptu à quouis ha-  
bentur, sed abstrusa, & quæ magis admiranda iudican-  
tur. Quare vt tibi, & his qui harum rerum delectantur  
cognitione, commodius satisfacerem, impressoribus  
tradidi, impressamq; ad te mitto. Qua (mea quidem  
sententia) omnia, quæ ad petitionem tuam spectant,  
noscere poteris. Dices fortasse, istis prodigijs fides mi-  
nimè danda est. Certè quidem, quod omnes tenent.  
Tamen, si homines, pensitato iudicio, vellent confide-  
rare, quæ accidunt, non temerè fieri cognoscerent. Sed  
malo iudicio deprauati, nihili faciunt, & à malis pera-  
gendis non cessant. Vnde horę momento in maximas  
deueniunt calamitates: quamuis nonnullis differantur  
prorogenturq; tamē poena claudō pede antecedentē  
scelestum nunquam deserit, sed supplicij onus mora  
compensat: vt, de quo mens intelligit, existimetur.  
Qui si animaduertisset prodigia, quæ in suis finibus  
apparuerē, breuitatis causa hęc prætermittā, salutis suę  
fortasse prudentius consulisset, vel meliorem vitam  
instituisset agere. Sed mentis suę malignitas rem suam  
B ad

EPIST. ANTHONII FIRMANI.

ad ruinam trahebat. Quæ superbi numeri compositi  
fines non præteribit, in quo suæ Gentis exitiū consistit.  
Sed ista Deo relinquamus, qui nullum impunitum per-  
mittit. Suscipies ergo quicquid erit, quoniam delecta-  
beris sanè rerum admirabilium, & eiusdem, quam  
desideras, ad plenum cognitione. Vale.

Romæ Kal. Ianuarij.

M. D. VII.

AD

AD ILLVSTRIS.  
CAESAREM BORGIAM  
ROMANDIOLÆ DVCEM, GASPARI  
TORELLAE EPISCOPI S. IVSTAE, EPI-  
stola de portentis, præfagijs prodigijsq; admirabi-  
libus, de Solis & Lunæ defectibus, deq;  
Cometis, cognitione digna.



ILLVTRIS S. Princeps &  
Domine, licet non te lateat, quan-  
tum de tuis ac de te bene meritis sū:  
nihilominus à, nescio, quo latitan-  
te, cogor, te vt fidelissimo amore  
prosequar, & seruitijs tuis incum-  
bam. Vnicuiq; enim cognitum est,  
me iuuenem cōpetenter dispositum,  
& circa necessaria occurrētiaq; haud  
mediocriter prouisum, ac in Appollinea arte fatis eruditum  
atq; expertum, in S. D. N. familia, dum esset in minoribus,  
fuisse susceptum, et in occurrenti non solum S. suæ, verume-  
tiam suis, postremo & tibi nunquā defuisse. Tamen videntes  
quamplurimos ad magnas dignitates sublimari, me verò in  
tāt a egestate laborare, nonnulli admirantur, negligentiq; meq;  
alii, multi fortunæ adscribentes, reliqui importunum me esse  
debere consulunt, moti autoritate PII Secundi dicentis in  
Tractatu de Somnio Fortunæ. Quod fortuna non nisi impor-  
tunitatis remedio acquiritur: scilicet, eam fugando, sed non  
ab ea fugiendo. Et quia quamplurimi ea, quæ à casu & for-  
tuna accidunt, prodigia, portenta, seu præfagia vocant, ipsi  
credunt, fidemq; adhibent, ex quibus opiniones variz ac falsæ  
B 2 ortæ